



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

18. De Dulcedine Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

extra se concipere potest. Vnde est infinite amabilis & delectabilis, & habet vim infinitam alliciendi mentem ad sui amorem: & quamuis ipsa non trahat mentes beatorum infinite, eò quod visio non sit perfectionis infinitæ; ita tamen potenter trahit, vt omnes necessariò illuminent; nec possint vllò modo suspendere, aut cohibere amoris actum. Verum quò maior hæc necessitas amoris, eò mens beatior.

CONSIDERATIO XVIII.

De Dulcedine Dei.

Divinis dicitur; 1. tanquam fons & causa omnis dulcedinis tam corporalis, quam spiritalis. Quidquid enim dulce, suaue, amabile, & delectabile est in rebus creatis, ab ipso est tanquam tenuis participatio immensæ illius dulcedinis.

2. Quia

2. Quia non solum omne obiectum dulce, & delectabile ab ipso est; sed omnis etiam delectatio, omnisque sensus dulcedinis in Angelis, hominibus, & animalibus, ab ipso est: ipse enim facultatem animæ, dulcedinis & delectationis capacem finxit & formavit; & pariter formavit omne obiectum delectabile, & omnem proportionem congruentiæ & conuenientiæ quam obiectum illud habet ad illam animæ facultatem; & simul illi cooperatur ut dulcedinem obiecti percipiat. Itaque ipse est causa omnis delectationis.

3. Quia in ipso est æterna & infinita dulcedo omnium beatorum spirituum, & omnium animorum Beatorum: idque duplici ratione; nempe obiectiuè & effectiuè: obiectiuè, quatenus ipso fruendo & gustando, summo gaudio toti perfunduntur: effectiuè, quatenus ipse est

auctor

auetor luminis gloriæ, quo Deum clarè vident, & habitus Charitatis quo illum summè amant. Hinc enim sequitur illud gaudium & immensa illa delectatio de bonis Dei, seu gustus beatus illius immensæ suauitatis.

4. Quia ipse sibi-ipsi est infinita dulcedo, tum obiectiue, tum formaliter. Obiectiue, quia ipse est obiectum infinitæ dulcedinis, in quo omne dulce, & delectabile eminentissimè continetur. Formaliter, quia ipse de se-ipso infinitè gaudet, & delectatur; & se-ipsum comprehensiuè videndo, à se-ipso infinitam delectationem, & infinitum gaudium haurit. Imò, ipse est infinitus amor, & infinitum gaudium de se-ipso, vt sic loquar, conceptum. Præter hos modos, **LESVS** dicitur *Dulcedo cordium* in iubilo nobilissimo B. Bernardi, etiam meritoriè: quia passionis suæ

F amari-

amaritudine, nos ab æternæ damnationis amaritudine liberauit; & ad æternam infinitamque dulcedinem æternæ gloriæ traduxit.

CONSIDERATIO XIX.

De Bonitate Dei.

Bonus dicitur; 1. vt fons bonorum omnium: ab ipso enim descendit omne bonum Angelorum & hominum, ac totius vniuersi in statu naturæ, gratiæ, & gloriæ: & omne bonum creatum est tenuis quedam participatio & exigua scintilla infiniti illius boni. Ipse est auctor omnis perfectionis essentialis ratione cuius vnaquæque res in seipsa bona dicitur; & omnis proportionis ac conuenientiæ, ratione cuius dicitur bonum alteri, cui est conueniens.

2. *Formaliter*; quia in ipso est plenitudo omnis boni conceptibilis à mente